

pietate maxime iuvamur, itaque propediem et Italiam et urbem et vos visere speramus ac tum publice et privatim constantis fidei ac devotionis vestrae perpetuo erga nos et Apostolicam Sedem debita merita, grati et memores vobis refferemus; quæ etiam Omnipotens Deus pro sua misericordia cumulatus reddet.

Ex Victoria XIX Februarii MDXXII.

49 *Exemplum litterarum Pontificis novi electi ad Reverendissimum cardinalem Grimanium.*

Reverendissime Domine.

Eximiae virtutes et singularis Reverendissimæ Dominationis Vestrae doctrina, quæ nos sibi magno amoris vinculo diu ante devinxerant, faciunt ut, cum omnium vestrum unanimi consensu in Romanum Pontificem electi simus, videamusque quantum oneris humeris nostris ab Omnipotenti Deo impositum fuerit, non immemores imbecillitatis nostræ, speramus posse illud tot reverendissimorum cardinalium prudentia sustinere, sed in primis, ope et consilio Reverendissimæ Dominationis Vestrae, quam, pro ejus in Sanctam Sedem Apostolicam et totam rempublicam christianam pietatis debito, nobis non defuturam confidimus, ut ecclesiæ Status servetur, paxque et universalis quies toti populo christiano paretur. Hæcque de causa, cum magnos tumultos in Italia fervere audiamus, et esse qui absentia nostra freti audeant ecclesiæ Statum invadere et impias manus suas in patrimonio Christi polluere, visum est nobis Reverendissimam Dominationem Vestram rogare, ut suum Illustrissimum patrem ac Rempublicam suam litteris et nunciis hortetur, ne cum filiis iniquitatis adversus ecclesiæ Statum consentiant, neve consilium, auxilium vel favorem eis præbeant. Quam rem, tametsi eos probe facturos pro sua pietate arbitramur, semperque eos ecclesiæ Dei ac publici christianorum boni propugnatores fuisse accepimus, tamen et Illustrissimi sui patris et Reverendissimæ Dominationis Vestrae auctoritatem, consilium et prudentiam in hoc plurimum valituram confidimus. Et ut simul intelligant adventum nostrum in Italiam propediem futurum, et eum Omnipotentis Dei auxilio pro viribus operam daturus, ut qui Ecclesiam Dei invaserint debitas poenas luant, et qui opem adversus Ecclesiæ hostes præbuerint a nobis merita præmia referant; quæ omnia latius intelliges ab Antonio Studillo camerario nostro secreto, cui fidem in omnibus adhibere placebis, qui

etiam illi referet optimum animum et benignam erga Dominationem Vestram Reverendissimam mentem nostram, et quantum ei gratificari cupiamus. Ab eodem etiam intelliges nos omnem adhibere diligentiam, ut quanto citius possumus in Italiam trajectum, possimusque præsentem gregem nobis a Domino commissum tueri, et reipublicæ christianæ salutis et incremento consulere, nec quidem aliud nos morari, quam Reverendissimorum dominorum Legatorum adventum, quem tamen brevis ad nos futurum speramus. Bene valeat Dominatio Vestra Reverendissima.

Ex Victoria die ultima Februarii MDXXII.

Reverendissimæ Dominationis Vestrae amicus et confrater

HADRIANUS
electus Pontifex romanus.

A tergo: Reverendissimo in Christo patri domino D. cardinali Grimano, fratri nostro carissimo.

Exemplum litterarum Hadriani electi in romanum Pontificem ad magnificos dominos Senatorem ac Conservatores Populi Romani.

Magnifici ac præstantes viri.

Vestra fides et devotio, quam semper erga Sanctam Sedem Apostolicam et nuper in nos ostendistis, faciunt ut nullis litteris aut officiis vobis satisfacere posse arbitremur; et licet per alias nostras litteras vobis gratias agerimus, quod ex electione nostra lætati fueritis, et quod molesto animo nostram ab Italia et urbe absentiam feratis, visum tamen est, ut certiora animi nostri inditia cognosceretis, Antonium de Studilla camerarium nostrum secretum præsentium latorem ad vos mittere, ut primum vobis nostro nomine gratias agat, quas nos præsentem relaturi sumus pro vestra in nos et Apostolicam Sedem fide, constantia et officiis, hortemurque ut cum eadem quiete et tranquillitate qua cepistis nostrum expectetis adventum, quem brevi futurum speramus. Nam omnia protectioni nostræ necessaria quanta possumus celeritate paramus, prout idem Antonius nostro nomine vobis referet, cui in omnibus plenam fidem adhibeatis.

Datum Victoriæ die ultima mensis Februarii 1522.

HADRIANUS
electus Pontifex maximus

THEODORICUS.